

1706.

1. Carocius, Georgius Alphonus : De compositione diverso-
rum in Germania territoriorum
2. Gersinus, Henning Christoph : De usus rei legatae
3. Palkenius, Jakobus Philippus : De jure talionis in
causa religiosis exercitio.
4. Schallius, Jakobus : De probalione criminis
magiae.

1707.

1. Caro, Georg Alph. : Notice academica pro
Melpiano in Carpathium : In primis numerum
publicorum in sapientia.
2. Carocius, Georgius Alphonus : De dominio publico
et omninati et iure imperii diversio..
3. Gersinus, Henning Christoph : An et quam causa
criminalis praeforanda cinti?

1707

Y. Mayerus, Fridericus: In. Terr. Dorschii tractatio. 8.
De ordinazione ecclesiasticis ministrorum

1708.

1. Corri, Georg August: De usu juris naturalis in iustitia
lascivi & rep. practiceo.

2. Gedenker, Henricus Christophorus: De appignatione feudi.

3. Helwigius, Christoph: De amicis, cuncta, et priu
mogeniis fabiae & siluro.

4. Maserarius, Petrus: Examen post tentiae canticis.

5. Maserarius, Petrus: Geremantis solitariis

6. Pethenius, Dr. Philippus: Programma, quo
de conjugii honorario resonat et ad certe celebra
re virginis portas sacra ... colortatur.

7. Schackius, Ioh. : De appignatione rei alienae.

1708

8. Schackius, Johannes: De affirmativo contractum
unilaterale.

9. Schalkopp, Jacobus: Utrum leges fundamentales
propter esse dictae leges sint?

1709.

1. Gersdorff, Henricus Christophorus: De sacramentis pabulum.

2. Schackius, Johannes: Quo adaptatus nomen et functionem
patris adoptantis convegetur?

3. Schackius, Johannes: De jure circa pestem

1710

1. Gersdorff, Philippus Balduinus: De jure in
litteris affectionis

2. Gersdorff, Henricus Christophorus: De reconvictione
in criminibus.

3. Grull, Nicolaus: Disputationis historica - publica, in qua
processu[m] mutatio status Germaniae post fata Carolinae

172.

gram exminatus et refutatur.

Gorde

J. Schaeckius, Jheronim: De sancto tempore Quadragesima
1711.

172.

Schaeckius, Jheronim: De convenientia et disconvenientia
Rescommunicationis majoris cum Banco Imperiali,
in genere.

Gor

F

2. M

2.

1713.

1. Helwigias, Christopherus: De fuligine.

3. M

1715

Gordes, Phil. Barth: Index nonnullarum erroriarum
doctrinarum ex Dr. Thomae fundam. iur. nat.
Et gent. magna ex parte selectarum

0

Pr

re

1718.

Gersenius, Philippus Balthasar: Dissertationes iur. mu-
nitionaria, exhibens normas et ordinem iuridicas
controversiarum iudiciorum in Germania et patria Ponensis

174.

Gunder, Philippus Balckmarus : De iuribus xenodachiorum
prosopique etea successione in locis ingressorum.

1724.

1. Gundersius, Philippus Balckmarus : De paenitentia.

Ficorum

2. Mayerus, Ioh. Abrahamus : De curatione ulcerum
ribellium.

3. Mayer, Ioh. Abrah. : Ad Disputationem med.-chir. in Aug.
De curatione ulcerum ribellium a Dr. Ioh. Teurile
Prugero ... pro obtinendis summis in arte
med. honoribus ... habendum ... instat.

EXAMEN
POENITENTIAE
CIVILIS,

Qvod

Auxiliante divina Majestate,
PRÆSIDE,

DN. PETRO MASCOVIO,

JConsul^to & Anteces^tore Ordinario,
Facult. Jurid. Seniore & Regii Consistorii per Pome-
raniam anteriorem & Rugiam Directore
gravissimo,

Patrono ac Fautore suo,
Omni & honoris & obseqvii cultu,
devenerando,

Die 14. Aug. 1708.


Placidæ Eruditorum disqvistionī
submittit

CARL. FRIDRICH BüTZOW,
Rug. Swant.

GRYPHISWALDIE,

Typis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
Reg. Acad. Typogr.





CAPUT I.

De,

Poenitentia in genere.

§. I.



Rimis temporibus, ubi anti-
qua fides religiose observabatur, omnia
negotia simplicissimis verbis & quo-
modocunq; inter partes placeret, cele-
brari conveverunt ; Illustr. Baro de

Linck. *in Anal. ad Struv. Syntag. J. Civil. lib. 2.*

tit. 14. d. m. 58. Nec quisquam tam perficitæ frontis, facile
credebatur qui semel placita in alterius injuriam im-
mutare auderet, quemadmodum id de priscis Germaniæ
populis refert Tacitus *de moribus german.* Cap. 4. & ex
eo Hippolit. à Lapide *in prefat. quam premisit (ue Dissert.*
de Rat. Stat. Verum cum crescente in hâc orbis fâce,
hominum argutia, optimæ virtuti non uno modo insi-
diari cœpit, ita ut abrogata prisca sinceritate, perfida-
ria, fraus & dolus, tanquam perpetui successores ei
surrogata sint, & qvilibet in propria commoda inten-
tus proximi utilitatem non modo amplius non promo-
veret, sed etiam cuncta ad se trahendi cupidine impe-
diret; provida Legum Lator. cura, præsentissimis per-
mota necessitatibus, ne quid Respubl. damni sentiret,
qvam plurimis Constitutionibus Calumniantium frau-
dibus medelam paravit, certosqe negotiis præscri-
psit limites, intra qvos si manerent partes firma nasce-
batur obligatio ad implenda converta juxta præscri-
ptam formam celebrata.

A

§. II. Sed

§. II. Sed ne ita qvidem indigentiae humanae perfecte prospectum, quamvis pia fancientium intentio maxime veneranda; nam ut nihil dicam de mille fraudibus, ac technis, quibus alias saluberrimae constitutiones circumduci solent Baud. *in tract. defensor. sub. init.* Aeqvitas quae legum mater dicitur, non permettebat tam strictam ex omnibus negotiis, quibus praedito modo data erat obligandi facultas, oriri obligationem, dictitans, quamplurimos esse excipiendo casus, qui stricto qvidem jure generali dispositioni subjecti, exceptionem tamen ex singulari favore & civili ratione mererentur; itaque ut & huic defectui prospiceretur L. L. Autores varia excogitarunt Remedia, quibus extraordinem lapsis subvenirent. Hinc Restitut. in Integrum, non uni personarum ordini, sed omnibus hominibus inevitabili quodam impedimento laesii nulla vel sexus, vel aetatis ratione habita, parata vid. tot. *Tit. ff. Q. ex caus. maj. in integr. restit.* Pivilicia, exceptiones datae, & quod a jure alias alienum, ipsis partibus quandoque concessum, ut ex sua voluntate a negotiis utriusque consensu perfectis receivedere possint. Hoc ultimum cum non nisi rare & singularibus tantum casibus conceditur, operae pretium duximus in Examen quoddam deducere.

§. III. Ne autem illotis quod dicunt manibus rem aggredi videamus juxta monitum JConsult. *in l. 1. ff. de o. j. circa vocabuli Etymon pauca quae ad meliorem rubricae intellectum facere possunt praemitteremus.* Dicitur autem paenitentia, non a pene & penuria, ut paenitere idem sit, quod *indigere solamine* A. Gell. *lib. 17. noct.*

noct. attic. c. 1. Nec à pœna, quasi sit pœnæ tenentia, qvæ designat animi dolorem vel passionem qvandam cum dolore conjunctam; qvod probat Bellarm. lib. 1. de pœnit. Cap. 1. Sed potius à pœnitendo qvod descendit à verbo impersonali pœnitet s. pœnitere, germ. gereuen/ Beckman. de origin. lat. lingvæ ad verb. pœna. Vel qvod magis arridet, à ponè & tenendo juxta Erasmus: ut pœnitere idem sit ac posterius consilium tenere, i. e. prius placitum dolere, & reformato in melius consilio, alio delectari, optime vero exprimere videtur significationem vocabuli verbum græc. μελαμέλια de cujus significatione vide Dieter. In sist. Catechet. ad loc. de pœnit. Ponitur pœnitentia alias pro resipiscentia, l. 23. pr. C. de Nupt. & Synonima recipit dolorem gesti, emendationem, ac mutationem consilii, c. 23. de R. J. in 6.

§. IV. Accipitur autem vocabulum pœnitentiæ non uno modo, uti videre est in manual. Juris Sebaſt. Almers voc. Pœnitent. A Pontifice in c. 9. t. 22. qvæſt. 4. alia DEI dicitur, utpote qvi pœnitere legitur Gen. Cap. 6. v. 6. it. Cap. 8. v. 21. Jerem. Cap. 18., qvod tamen κατ ἀθρωπωνάτειαν intelligendum, qvia alias immutabilis eademq; semper existens DEI natura c. immutabilitas 9. t. 22. qvæſt. 4. Et alia HOMINIS: Hæc iterum vel Theologicè sumitur, & in specie spiritualis dici solent. Vel Juridice, qvæ Civiliſ ſeu Legalis vocatur, qvæ de in præsentiarum examen instituere animus eſt. Accipiunt quidem & Canoniftæ pœnitentiam per synechdochen partis pro toto pro satisfactione operis, qvæ pœnitentibus imponitur juxta. c. 86. de pœnit. diſtinct. 1. ſive pro pœna, qvæ pro expiandis Criminib; & delictis publicis imponitur illis, qvi de tali

A 2

crimi-

crimine convicti sunt, qvæ acceptio qvoq; in nostris Ecclesiis incognita non est, dum pœnitentia die Kirchen-Bus; Ecclesiasticae censuræ speciem constituit & Ecclesiastica dici solet, de qva post. Nicol. Rebh. Theol. Dn. Muller. JC. Jenens. integrum conscripsit Tractatum, sed hæc hujus loci non est.

§. V. Civilis seu legalis pœnitentia , aliter atq; aliter à D. D. definitur, vulgo qvod sit contrariae voluntatis actus , qvo qvis illud retractat, permittente tamen lege, qvod antea gesserat; Seu qvod sit actus voluntatis qvo qvis proprii dicti vel facti retractionem desiderat; Rectius forsan, *qvod sit spontanea actus aliqujus Legibus permissa revocatio*; illud enim certum est, qvod pœnitentia propriè dicta, prout eam hoc loco accipimus ex libera voluntate proficiisci, nec extrinsecè præter perfectionem qvidqvam recipere debeat, cum nihil pœnitentia factum dici possit, cuius initium non in ipso agente cœpit, seu cui principium motus extrinseca causa suppeditavit, qvod fieri constat, qvoties errore, metu, vi & dolo alterius ad negotia revocanda inducimur *l. 15. ff. de Jurisdic. l. 116. ff. de R. J.* Spontanea itaque debet esse gesti mutatio, non coacta, neque physice, neque moraliter, nam ne ille qvidem sponte fecisse recte dicitur, qvi sciens se ad id, qvod facit, à Magistratu adigi posse, agit, licet nondum à Magistru compulsus imò ne qvidem interpellatus Barbos. *Loc. com. vocab. spontaneum.* ibique allegat. Petrus de Anchor. *Consil. 159. Col. 2.* Qvoties itaq; ex libero arbitrio præcedente interno qvodam cordis dolore gestum revocatur , toties talis revocatio pœnitentiae recte attribuitur..

§. VI. Et

§. VI. Et hæc causa est, cur generis loco diximus spontaneam revocationem; qvæ revocatio vel ita fit, ut intra mentis repagula terminetur, prout eam accipere videntur illi, qvi pœnitentiam per actum voluntatis definiverunt; Vel ita ut jam actu secundo, seu ut Sozin. 9. Metaph. qv. 15. loquitur imperato exerceatur. Qvamvis enim actus voluntatis in *elitos & imperatos* dispesci constat, ut qvadantenus dubium videri possit qvalem actum intellectum velint, qvi genus pœnitentiaæ actum voluntatis statuere, tamen cum in famosiori suo significatu actus voluntatis corporali contra distingvatur, eum intelligi æqva fvatet ratio qvem elicitum philosophorum Schola appellat, qvippe qvi *nareξοχην* actus voluntatis dicitur.

§. VII. Differunt etiam hoc modo ceteræ pœnitentiaæ species à Civili; sola spiritualis ad illam paulo proprius accedere videtur, & ideo differentiaæ loco adjectum: *Legibus permitta* qvæ verba licet qvodammodo & ad Ecclesiasticam applicare possint, utpotè circa qvam Leges civiles, qvam maximè occupatae, tamen cum illa toto cœlo à civili distet, & tanqvam pœna vel qvaf delinquentibus infligatur, §. 4. hoc Cap. fatis differentiaæ aliunde habet. Spiritualem leges civiles non agnoscunt, sed initium & perfectionem intrinsecè nanciscitur, vid. Dieter. *Instit. Cateches. in loc. de paenitent.* Cœterum permisso LL. qvæ una est ex virtutibus legum l. 7. ff. de LL. in hac civili pœnitentiâ reqviritur, sed sola non sufficit, qvia qvilibet juri pro se introducto renunciare potest, l. pen. C. de paci. adeo ut voluntas

hominis & LL. permisso conjunctim hic reqvirantur
& causam qvafsi efficientem constituant.

§. VIII. Exposita sic definitione pœnitentiae legalis, anteqvam ad Subjectum, qvi pœnitere possunt, & Objectum circa qvod pœnitentia versatur, perveniamus, nonnullas divisiones ad expeditiorem insequentis materiæ pertractionem facturas, præmittere placet: Distingvitur autem pœnitentia legalis 1. ab Objecto in *judiciale* & *Extrajudiciale*; cum enim homines qvibus pœnitendi jus concessum partim in judicio, partim extra illud versantur & ubiq; ad præstandum aliquid adstringuntur, conveniens est, ut ubivis ipsis succurratur. *Judiciale* autem pœnitentiam appellamus, qvâ negotia in judicio gesta lege permittente revocantur & in anteriorem statum collocantur. Sunt quidem actus judiciales publicâ qvafsi autoritate muniti, & longè efficaciores, qvam illi, qvi extra judicium fiunt, in tantum ut etiam simplex patientia in judicio sine verbis habeat vim stipulationis juxta Br. in pr. de V. O. Reiger. Thesaur. l. sub vot. actus n. 9. in med. & nuda confessio sine causa facta actionem pariat, Alex. in l. & in rubr. de V. Obl. nec non injuriæ in judicio factæ crescent & longe atrociores habeantur, Bl. in l. non probaſſe C. de column. n. 3. Unde pœnitentia non facile in illis locum inveniet ne ipsa justitiæ asyla labefactentur & sensim pereant; attamen cum lex nonnullis in casibus pœnitentiæ locum facit, vid. l. 5. C. si *Tut. vol curat. interv. l. 46. de re judic. l. 73. §. 2. de Judic.* nemini injuriā facere videtur, qvi jure sibi concessu utitur, l. 55. ff. de R. J. l. l. §. 12. ff. de aqua pluv. excend. *Extrajudicialis*

¶ (7) ¶

cialis nunc minus dubii habet, & ex sola oppositione ad præcedentia claret; cum enim summa, actuum humorum, in quibus pœnitentia exercenda, divisio in duas species, sc. judiciales & extra judiciales abeat, dubium non est, ut quicquid in judicio factum non sit, nec ad illud expressè respicit, extra illud factum dicatur, & pœnitentia, quā talia negotia revocantur extrajudicialis nomen obtineat, sed de hisce infra Cap. III. ubi de negotiis judicialibus & extrajudic. in specie agitur, prolixius tractabitur.

§. IX. Secundo non malè distinguitur ab effectu, quod vel utilis sit, vel inutilis; Utilem appellamus quā in casu permisso, semel placita mutantur & retractantur, ita ut præcedens voluntatis mutatio legis permissione effectum habere possit, & hæc est, quam licitam esse in hominum negotiis Cap. sequenti demonstrabimus. Inutilis est, quam lex improbat, & impunè fieri non permittit; neque enim omnis mutatio consilii talem sortitur effectum, ut ob illam, à negotiis quibuslibet impunè recedere permittatur, sed regulariter illa demum, quæ uti diximus lege permissa est, h. e. quæ intervenit contractu nondum perfecto, seu tunc quando adhuc aliquid deest ex iis, quæ ad negotii substantiam requiruntur, pr. Inst. de Empt. Vend. ibi, donec aliquid det si pœnitentia locus est. Contractu namque perfecto & quando jam alterius interesse cœpit, i. e. quando jam verè constitit obligatio, altero invito, altere nullo modo recedere potest, l. 5. C. de Obl. & Act. l. 3. Cod. de rest. Vend. l. 1. l. 2. C grand. lic. ab Empt. reced. l. 17. §. 3. ff. commodat. quoniam hoc esset consilium in alterius injuriā mutare contra

contra l. 35. ff. de R. J. c. 33. de R. J. in 6. Verum qvando negotia vel conventiones perfectæ, & qvando ex iis alteri jus primum acquisitum dicatur, id simplici responsione vix explicari potest.

§. X. *Struvius* vir juris scientia clarissimus antiqvam, reducere velle videtur, morum probitatem, qvando ex solo consensu qvomodo cuncti declarato, i. e. ex nudo pacto obligationem, oriri scribit *Synt. J. civ. Ex. VI tit. 14. th. 17.* Et hanc erroneam sententiam jam ante *Struvium* amplexus est *Lud. Molina de Jusit. & Jur. tract. 2. diss. 258. n. 9.* ubi dicit, qvod omnia, qvæ de pactis nudis, vestitis, contractibus nominatis & innominatis in *Jur. Rom.* statuta leguntur, hodie innoxie possint contemni, tanqvam ab usu nostri fori prorsus remota & antiquata; Sed *Dn. de Linck.* cui hoc temere assertum displicet, illud non uno loco refutavit, & quidem qvod attinet *Jus Can.* & *allegat.* à *Struvio Cap. 1. de pact.*, ad illum respondit in *Anal. ad Dese. Erotem. J. Can. lib. 1. tit. 35. qv. 4.* ubi testem adducit Laymanum, qui in *not. ad dict. Cap. 1.* scripsit: Qvod ne quidem in foro Ecclesiastico pacientes hodie compellantur ad observandas pactiones simplices. Eandem sententiam fovet vir summi judicii de moribus, qvod ex iis ne quidem ex pacto nudo firma nascatur obligatio, nisi stipulatio saltem interpretativa intervenerit, *An. ad Struv. S. J. civ. lib. 2. tit. 14. th. 17.* Qvod tamen ita accipi oportet, ne absurdia inde sequatur conclusio; Non enim id vult laud. Aut. qvod omnes veterum *Rom.* circa pacta & contractus solennitates hodienum ita stricte debeant observari, ut salva conscientia illæ omitti non

(9)(3)

non possint, qvod nonsolum absurdum, sed etiam praxi modernæ contrarium. Sed qvod ex pacto tanquam conventione indeliberata, ne hodie qvidem obligatio oritur nisi animus firmiter se obligandi ex circumstantiis certis appareat. *Anal. ad J. can. c. I. l. 7. §. 12. ff. de pactis.*

§. XI. Nobis medium placet, adeo ut neque pertinaciter nimis antiqui juris regulis inhærendum, neq; temere nimis ab iis, qvæ ad faciliorem justitiae executionem ab antiquitate constituta sunt, recedendum esse putemus. Ideo sic sentimus, qvod sola conventio, de negotio ineundo, nec simplex contrahentium consensus, etiam si præsumptio qvædam adsit, qvod partes se voluerint obligare, non sufficiat ad omnia negotia celebranda, nisi & ea, qvæ vel jure com. vel cujuscunq; loci consuetudine circa contractus substantiam requiruntur, à contrahentibus fuerint observata, ut inde de certo consensu, ex præsumptionibus validis & indubitatis, possit constare; licet enim aliquando primo intuitu appareat, rationem nullam adesse, cur hoc vel illud ita observari debeat, inde tamen non statim inferendum, qvod tanquam inutilia removenda sint, cum multa à veteribus constituta legimus, qvorum nos rationem qvidem nullam reddere possumus, l. 20.
& 21. de LL. qvæ sua utilitate minime desituuntur. Qvapropter, qvamvis non omnes verborum conceptiones, qvæ in Republ. Rom. in usu fuerunt, tam strictè amplius observare teneamur, ut uno sæpius omissio verbo tota causa cadere necesse sit, tamen solæ conventiones indeliberatae, (qvas nos cum Linck. c. I. pacta nuda appellamus) et si ex indiciis non levibus con-

B

stare

stare possit, quod partes contrahendo se voluerint obligare, nec iure, nec moribus obligationem validam operantur, Linck. Anal. ad Inst. lib. 3. lit. 14. p. m. 172. ad Struv. S. Jur. civ. lib. 46. tit. 1. lib. 35. verb. spreta adduc sententia, quod bodie ex pacto nudo actio seu Jure can. seu moribus comparata sit.

§. XII. Cum autem ex pactis nudis obligatio-
nem non oriri dicimus, intelligimus conventiones
indeliberatas, quae quidem hodie non praesumuntur,
sed necessarium erit illi, qui pristino pactorum jure uti
velit, probare se temere & inconsulto promisisse.
Sola itaque præsumptio deliberationis non forma pacto-
rum imminutata est, Dn. Linck. c. l. ad Struv. S. J. liv.
lib. 2. tit. 14. & sic quoque sc. de non alio quam pacto
deliberato intelligi debet ac potest, Mev. P. s. Decis. 408.
ubi ex pacto actionem dari scribit. Omnes ergo con-
tractus, s. fint Consens., s. reales, s. literales, sive verba-
les, consensu quidem, sed deliberato, & ex quo an inter
partes consulto aliquid actum sit constat, tam inter
praesentes, quam absentes per literas ineuntur, ut non
quidem, quam pacta nuda utpote quae indeliberata, sed
quam stipulationes interpretativa actionem validam &
efficacem producunt Dn. de Linck. ad Synt. Struv. lib.
2. tit. 14. p. m. 58.

§. XIII. Quoties itaque talis consensus conventionibus nondum accesserit & ~~lxxviii~~^{lxxix} ~~magis~~^{magis} illa ~~exordia~~^{exordia} uti vocantur ab Arist. V. Etb. 5. l. 7. §. 2. ff. de patr. robur ordinarium nondum acceperint, toties contrahentibus liberum est pœnitere, & non solum utriusq^{ue} dissensi,

dissensu, sed alterius pœnitentia à negotio recedere,
 Berlich. d:cis. 142. & seq. Ernest. Cothman. vol. 4. t:sp. 18.
 Menoch. consil. 893. n. 12. 13. qvoniā ex imperfecto
 negotio obligatio nulla oriri petest, Cap. 20. X. de Convers.
 conjug. Decius Consil. 57. it. 62. in pr. & contractus im-
 perfectus pro nullo habetur gl. pen. Cap. iux de Cleric. non
 resident. Et hoc ita regulariter obtinet, sunt enim nego-
 tia, qvæ qvadantēus perfecta pœnitentiam admit-
 tunt, de qvibus Cap. sequent. uberius agemus.

§. XIV. Qvod tamē minime ita intelligendum,
 ac si leges post perfectum confensem omnem pœni-
 tentiam, etiam simplicem remotam velint, pœnitentia
 enim qvatenus est ac manet pœnitentia, seu
 in interno dolore & nuda voluntatis mutatione per-
 sistit, leges nunquam excludunt, nec excludere posunt,
 cum sit actus voluntatis, in qvem leges potestatem
 nullam habet, arg. l. 18. ff. de pan. Gell. 7. noct. 3. ubi
 dicit facta sola censenda esse & in judicium vocanda, volun-
 tates nudas inanesque negligendas neque panis fieri obnoxias.
 Sed mutata voluntatis effectum, i. e. immaturam pla-
 citorum revocationem denegant, qvando etiam in-
 vitos ad præstantia converta cogunt; circa solam itaque
 revocationem Leges solicitane sunt, impediendo, ne mu-
 tatio voluntatis in alterius injuriam facta in externum
 actum prorumpat. Svaretz. de LL. Lib. 13. Cap. 13. Et
 hæc dixisse pro ratione instituti sufficiat de Pœnitentia
 in genere.

CAPUT II.

De

Subiecto seu personis qvib⁹ pœnitendi jus competit.

§. I.

Subiectum pœnitentiæ constituunt personæ, qvibus pœnitendi facultas à LL. concessa, i. e. qvæ actum alias subsistentem pœnitentiâ ducti, ex permissione Legis revocant. Hæ personæ verò vel totis Imperiis, Regnis ac Ducatib⁹ præsunt, & publicis officiis funguntur, vel propriæ suæ familiæ prospicientes privatim vivunt. De Personis publicis, Regibus sc. aliisq; supremis potestatibus an conventionibus vel contractibus suis præcisè stare teneantur, anne etiam ab iis pro lubitu vel per Pœnitentiam recedere possint, prolixius hic tractare animus non est, præsertim cum illa materia valdè diffusa, & varlis implicata distinctionibus adeoq; non uno modo à DD. deciditur, vid. interim Hahn. *ad Wesenb. tit. de Constit. princip. n. fin.* Confer. Dan. Otto in *jure publ. c. 8.* Reinking. *de Regim. Secul. & Eccl. lib. 1. cl. 3. c. 10.* Cœterum nullum videtur esse dubium, qvin Reges & Principes, qvando non ut Reges & Principes, sed ut privati cum privatis contrahentes, non minus ac alii privati, legitimo tempore pœnitere, & à pactis vel contractibus suis recedere possint, tūm qvod absurdum qvod Reges & aliæ publicæ personæ deterioris conditionis, qvlibet privato deberent esse, tūm qvod supremi Principes in negotiis suis privatis & contractibus,

&ibus, jure privatorum uti solent Otto *cit. loc. p. 187.*
 An verò Rex vel Princeps circa fidem hosti, vel hæretico datam pœnitere possit. An eam strictè servare tenatur? qværi solet, & licet Pontificii, qva hæreticum prius affirmit, posterius verò negent, pro ut & notum est exemplum in Johanne Husso, qui contra fidem datam ad ignem condemnatus est in Concilio Constantineni, An. 1415. Rectius tamen prius negandum & posterius affirmandum per ea, qvæ Hottom. *illust. q. 7. Fachinæ g. contr. 58. & seqq. & Jacob. Schult. in tract. An baret. fides servanda?* Reinking. *cit. loc. 2. &c. 1. c. 2. n. 16. seqq. latius deduxerunt.*

§. II. Qvod vero privatas Personas, de qvibus ex professo agere instituimus, attinet, in genere scendum, qvod omnes qui sibi alios & se aliis obligari possunt, convenienti casu etiam pœnitere possint, cum pœnitentia qvatenus à lege concessa, jus constituat, qvod cuivis salvum præsumitur, usqve dum exclusio per expressa probetur. Cum autem Furiosi & mente capti intellectu & voluntate destituti, die ihrer Sinnen gar beraubet seyn / nec se nec alios sibi obligare possint, l. 1. §. 12. ff. de O. & A. l. 70. §. 4. ff. de Fidejus., in tantum, ut ne Aëtus quidem, ab ipsis celebrati à Curatoribus rectè confirmantur, Struv. *Ex. VI. tit. 14. tb. 37. ibique Dn. Müllerus l. 3. etiamsi omnia prudenter in iis gesta. Müller. l. 1. ibique allegat. Niell. disp. feud. 2. tb. 4. l. a.* Seqvitur eos nec pœnitere posse ob defectum voluntatis §. 8. *Inst. de Inutit. stipul. l. 40. ff. de R. 7.* qvæ posterior non potest esse illi cui prior non fuit. C. J. A. *lib. 12. iii. 4. n. 5.* Interim Curatorem uti

B 3

cætera

cætera ipsorum emolumenta observare tenentur ita
 & pœnitere posse nulli dubitamus arg. l. 7. pr. ff.
de Curat. furios. &c. l. ult. C. pro soc. Restringit quidem
 qvod de obligatione furiosi dictum Müllerus ad Con-
 tractus veros *in Com. ad Struv. Synt. c. Ex. VI. th. 37. lit. d.*
 dicens in qvaf. Contr. aliam esse cum furioso rerum
 faciem, cum in illis non ex persona, sed ex ipsa re obli-
 gatio nascatur, l. 46. ff. *de O. & A.* ideoqve furiosum
 ex iis in quantum consensus, aut factum ejus non re-
 qviritur, & sibi obligationem acqvirere, & alteri obli-
 gari rectè posse; qvod licet verum esse non negamus
 propter l. 3. §. 5. *de Negot. gest.* l. 24. pr. ff. *de O. & A. cit.*
 l. 46. ead. tamen cum illa obligatio ex ipsa re nasca-
 tur, ut in d. l. 46. *de O. & A.* expressè dicitur, non po-
 terit ipsi, ob præsentiam obligationis tacite contractæ,
 pœnitendi facultas attribui, qvæ necessariò voluntä-
 tem præreqvirit. Sed qvid si Dementes vel Furiosi
 dilucida intervalla habeant, nonne adhuc contrahere
 & consci pœnitere possint, qvæstionis est? qvod
 omnino existimamus, non qvidem in negotiis in
 ipso furore contractis, qvippe qvæ per se nulla sunt,
 l. 1. §. 12. *de O. & A.* sed tantum in iis, qvæ tempore
 dilucidi intervalli celebraverunt, vid. Struv. *Ex. VI.*
ib. 37. modo alias nulla prohibitionis causa obstet, cum
 & tali casu pacisci possint. Cessante enim furore,
 facultas contrahendi, ipso jure revertitur, nec opus
 ut ea primum à Magistratu impetretur Müllerus *ad*
Struv. c. l. lit. b. qvoniam furiosus se obligare non tam pro-
 hibetur, qvam naturâ impeditur, quo impedimento
 remoto, omnia qvæ per illud antea impediabantur,
 illico reviviscunt.

S. III. Idem

1066 7

¶ (15) §.

§. III. Idem de Infante Septennio minori dictum
esto, qui tūm propter fandi impotentiam, l. 1. §. 2. de
Admin. Tūt. tūm propter mentis imperitiam, l. 9. ff.
de Acq. hered. & cum furioso comparationem l. 6o. de
R. V. nec se naturaliter, nec alterum civiliter obligare,
§. 9. Inst. de Inutil. sūp. Struv. Ex. VI. tit. 14. ib. 39.
ibique Dn. Müller. lit. a. nec ullius delicti culpam ad-
mittere potest, Müll. c. l. l. 12. ff. ad L. Corn. de Cicar.
Qvoad obligationem passivam furiosis & dementibus
aliquo modo æqviparantur qvoqve Prodigii, qui nec
finem, nec modum expensarum habent, & qvod ad bona
ipsorum pertinet, furiosum faciant exitum. l. 12. ff. de
int. & cur. dat. modo, pro talibus exprestè à Magistratu
declarati sint; Decretum enim cum Müllero ad Struv.
c. l. lit. B. necessariò reqvirimus, nec sufficere arbit-
tramus prohibitionem legis qvæ generalis, & per Ma-
gistratum demum huic vel illi individuo applicanda,
vid. egregiè hoc prob. Mey. ad jur. lib. 1. tit. 10. art. 5.
verba: *qui prodigus est, in individuo lex demonstrare non
valet.* conf. & Disput. de eo, qvod justum est circa Pro-
digos. Ao. 83. habita sub moderamine Dn. Præsidis
membr. I. Thes. VIII. Qvando autem instar pupillorum
hi res suas meliores reddere possint nec prohibitio
ultra obligationem propriæ personæ, vel rei ten-
dat, & per poenitentiam res maximam partem me-
liores reddantur, credimus poenitendi facultatem iis
ademptam non esse, relictâ ipsis in genere potestate
res suas absqve curatoris autoritate, meliores reddere.
l. 9. §. 7. ff. de rebus Cred. l. 6. ff. d. verb. obligat.

§. IV. Sic qvoqve Pupilli & Minores, cum ad
exem-

exemplum Prodigii conditionem rerum suarum meliorum reddere possint, a. pr. *Instit. de Aut. Tutor.* pœnitere & à negotio inito, justo tempore decedere possunt: licet illis, qui cum ipsis contraxeré, utpote firmiter obligatis nullum pœnitendi Jus hoc in casu relictum sit, utpote quisibi imputare debent, quod cum pupillo vel minore contraxerint. l. 5. ff. de R. J. Nec distingendum arbitramur, an minor curatorem constitutum habeat nec ne, illa namq[ue] distinctio parum vel nihil ad præsentem materiam facere videtur. Qvamvis enim minor, qui curatorem habet ejus consensum necessariò adhibere teneatur in negotio à se celebrando, id tamen non aliter intelligendum, qvam qvoad obligationem ipsius minoris, alter enim qui cum illo contrahit etiam absq[ue] curatoris consensu obligatur. a. pr. *Instit. de Aut. tut.*

§. V. Dein ut ut ob statum seu ex sua persona Servi civiliter non obligari nec alios sibi obligare possint, Struv. Ex. VI. tb. 41. cum tamen Domini conditionem meliorem facere possint l. 17. inf. l. 18. l. 19. l. 59. ff. de pact. licet non deteriorem l. 28. §. 2. 3. ff. de pact. & l. 133. ff. de R. J. & per pœnitentiam hoc, uti diximus, plerumque fieri soleat, & illis ex personis dominorum in casibus alias legibus concessis ad exemplum ingenuorum, pœnitendi jus competere vix dubitandum, nisi dominis potius qvam servis hæc pœnitendi facultas tribuenda. Denique filiifamilias, nisi specia-liter prohibentur, contrahendo & Se l. 57. ff. de *Judit.* l. 39. ff. de O. & A&G. & Patrem peculiotenus obligare possunt. l. 44. de *Pecul.* Unde qvoq[ue] pœnitendi facultatem-

tatem ipsis ex identitate rationis merito concedimus.
Ceteri qui recta ratione utuntur, & liberam rerum
fuarum administrationem habent, quin indistincte cu-
juscunque etiam aetatis vel conditionis sint, in casibus
lege concessis poenitere possint, nullum penes nos est
dubium.

§. VI. De Herede vero controversia non levus
est, an ad illum poenitendi jus quoque transeat? seu an
ab actu defuncti per suam poenitentiam heres recedere
possit? Affirmant id quidem post Jason. ad l. 5. ff. de con-
dict. caus. dat. & Andr. Cludium in Comment. adit. de Con-
dict. caus. dat. Cap. 3. n. 51. Carpz. decis. 292. n. 8. Mev. p. 8. dec.
115. n. fin. & novissim. Dn. Cocceus: in Disput. de jure pœ-
nitendi in Contract. Sect. 5. §. 6. & seq. Nonnullique alii ex
recentioribus, & quidem ex rationibus fermè sequen-
tibus (1) quod eadem sit ratio in herede ob quam
defuncto licitum pœnitere, quod sc. ipse qui dedit non
obligetur ergo nec heres (2) quod heres ejusdem juris
& potestatis sit cuius fuit defunctus, juxta l. 59. ff. de
R. J. (3) Quod ea, quæ sine causa apud aliquem repe-
riuntur ab eo repeti possint. l. 25. in fin. ff. de Acta rer.
amot. (4) Quia actiones rei persecutoriae ex contractu
nominato vel innominato, utique hereditantur. l. 37.
ff. de acq. hered. (5) Quod à parte accipientis imperfectum
sit ac maneat tale negotium, à negotio autem
imperfecto cuilibet recedere permisum. (6) Quo-
niam in precario heredi permisum, rem ab anteces-
fore precario datam repetrere l. 12. §. 1. ff. de prec. Verum
his non obstantibus negativa, uti communior, ita
quoque dubio procul verior, & analogiæ juris confor-
mior

C

mior nobis videtur, idque primum non tantum ex eo,
qvod negativa expressis textibus juris nitatur, sed qvod
etiam longe prægnantiores rationes pro hac nostra sen-
tentia militent. Textus qvod attinet, clara sunt verba.
32. §. 2. ff. de donat. V. & Ux. ibi. Fas esse eum qui donavit
poenitere, b: redem vero eripere forsitan adversus voluntatem su-
premam ejus qui donaverit durum & avarum esse. Simili modo
Paulus in l. 3. ff. de Serv. export. heredijus poenitendi de-
negat, ibi : Si quis hæc legie venit ut intracertum tempus manu-
mittatur, si non non sit manumissus, liber sit : Sit tamen is qui ven-
dit in eadem voluntate perseveret ; hereditis voluntatem non ex-
quirendam. (3) l. 1. C. de donat. inter. V. & Ux. donationes
ab eo factæ, Si usq; ad finem vita in eadem voluntate per-
mansit revocari non possunt : (4) l. 26. §. 9. ff. de Condict.
indebit. ubi Ulpian., filius fam. contra SConsult. Maced.
mutuatus si solverit & patri suo heres effectus velit
vindicare nummos, exceptione submovebitur à vindicatione
nummorum.

S. VII. Tum propter rationes subsequentes, &
qvidem (1) qvod cum defunctum non poenituit, sed, is
in voluntate perseveraverit, heres in ea acqviscere
teneatur, adeoque ejus facto, propter qval. contract.
aditæ hereditatis, contravenire & ex sua poeniten-
tiarepetere rem nequeat, cuius dominium defunctum,
modo alter promissa impleat, irrevocabiliter tran-
stulisse in alterum ex eo ipso constat, qvod non repe-
tierit Struv, in Synt. J. civil. Ex. 18. lib. 16. (2) qvod
foli ei qui dedit, non verò heredi, facultas poen-
tendi in LL. concessa reperiatur (3) voluntas poen-
tendi morte solvatur l. 32. §. 2. ff. de donat. inter V. & Ux.
poeni-

pœnitentia vero est voluntas priori sc. contraria. Ergo morte finitur (4) Qvod cohæret personæ, ad heredem non transit l. 8. §. 3. ff. de liber. legat. At pœnitent. cohæret personæ; est enim posterior voluntas ejus cuius fuit prior (5) Denique qvod voluntas usqve ad mortem ambulatoria sit c. l. 32. §. 4. & l. 4. ff. de adimend. legat. post mortem ergo stabilis & mutari non potest Mejer. in Coll. Argentor. tit. de Cond. caus. dat. tb. 5. Addit Brunnem. ad l. 1. de Serv. export. (6) qvod facultas pœnitendi qvodam exorbitans fit adeoqve non extendendum. Dissidentem Carpzov. 3. deis. 292. cum Brunneman. accipimus, si accipiens promissis stare nolit, & in illo casu, Carpzovii nec non Mevii sententiam admittimus, de quo nos non loquimur, prout ex supra positis constat, conf. Struv. ex. 18. §. 16.

§. VIII. Qvod demum Dissidentium rationes attinet, breviter dispiciendum, num tanti ponderis sint, ut prævalere, vel nos à negativâ dimovere queant, qvod constanter negamus & pernegamus. Nam ad primam rationem respondemus, qvod petitionem principii contineat; negamus enim qvod eadem sit ratio pœnitendi in herede, qvæ in defuncto fuit, per ea qvæ supra adducta sunt. Nec (2) ratio ex l. 59. ff. de R. J. desumpta obstat, utpote qvæ fallit in personalibus, qvod enim personæ cohæret, ad heredem ejus non transit l. 8. §. 3. de liber. legat., jus autem pœnitendi tale est, ergo. Conferatur Wissenb. ad l. 59. ff. de R. J. circ. fin. Qvod tertio loco adductum est, ut verum per se, ita concedimus, modò accipiens promissa implere recuset l. 2. C. d. condit. ob caus. dat. Nititur enim hæc actio, Condicio

Aio sc. causa data causa non secuta vel poenitentiâ dantis vel cessatione accipientis ; ex hac repetitionem concedimus heredi, non vero ex illâ , per superius deducta. Qvarta ratio non adversatur , concedimus enim actionem hanc tanquam rei persecutoriam heredi, ob cessationem accipientis l. 2. l. 3. l. 6. ob caus. dator. quando nimur ille promissum præstare vel non vult, vel non potest. Ad (5) respondemus qvod, licet à parte accipientis imperfectum sit negotium, à parte dantis tamen imperfectum vix dici possit , defunctus enim rem transtulit , & qvidem eo animo , ut irreocabiliter sit penes alterum , si & hic conventis satisfiat, uti ex eo constat qvod non repetierit, adeo ut heredi qvoqve in ea voluntate acqviescendum sit, Struv. sup. c. loc. b. 16. Qvod deniq̄ (6) de precario desumptum argumentum attinet, qvod heres non minus, quam is qui precarium dedit & illud contra pactum repetere posse fit l. 12. ff. de prec. nullius plane momenti est : quia precarium nec contractus est nec qvæ contractus, sed genus qvoddam liberalitatis l. 7. ff. de prec. & licet ad usum aliquem detur, incertus tamen planè ille est & indefinitus, ut pro lubitu à concedente vel ejus herede repeti possit , prout qvoqve pactum , ut ad certum tempus quis precariò qvid teneat, contradictionem involvat, imo & naturæ & substantiæ precarii repugnet, qvæ est, ut qvovis tempore repeti possit vid. Disp. Magn. Dom. Præsid. de precar. ib. 4. & seq. it. ib. 13.

CAP. III.

CAPUT. III.

De

Objecto Poenitent. Legal.

§. I.

Versatur Poenitentia circa actus hominum *s. s. Cap. I.*
qui actus alii sunt judiciales, alii Extrajudiciales.
Judiciales vel ipsum judicium respiciunt, velita com-
parati sunt, ut non quidem ad ipsum judicium, qua-
tenus id legitimam judicis inter litigantes, de re con-
troversa disceptationem ac dijudicationem significat,
pertineant, nec ad sui substantiam ordinarium judi-
ciorum strepitum reqvirant, sed toti ab autoritate
Legis dependentes, nudā judicis in hoc casu compe-
tentis præsentia, vel Authoritate contenti, ubivis de
plano, etiam extra locum judicii (& territorii secun-
dum principia Juris Roman. *l. 2. de offic. Procons.*) peragi
possint Struv. *Ex. IV. Lib. 2. tit. 1. tb. 71.* Hillig. *in Don.*
encl. l. 17. c. 8. lit. q. Acta enim generaliter dicuntur
Gerichts oder Rechts Acten, quando aliiquid sit au-
thoritate judicis, etiam extra judicium Wesenbec. *in*
Paratit. ff. qui testam. fac. possunt. n. 10. & ibid. Ludwell.

§. II. Prioris generis actus iterum secundum,
distincta judiciorum genera, variè dispisci possunt.
Est vero judicium aliud civile, aliud Criminale, plu-
res divis. vid. apud Em. à Rorbach. *tit. 1. n. 9.* Civile
iterum consideratur vel in prima vel in secunda i. e.
appellationis instantia, in singulis quid obtineat bre-
viter videbimus, primò de Personis Judicium consti-
tuentibus, & deinde de ipsis actibus judicialibus acturi.

C 3

Personæ

Personæ Judicium constituentes, aliæ judicant, aliæ litigant, Emeric. à Rosbach. *vit. 4. n. 2.* Qui Judicant dicuntur judices, Arbitri Compromissarii, qui omnes postquam semel officium vel publica autoritate, vel partium conventione, legitimè suscepérunt, ad cognoscendum, & ad sententiam ferendam, strictè cogi posseunt. *l. 74. pr. ff. de Judic. l. 79. ff. cod. l. 3. §. 1. ff. de recept. qui arbitr.*, ut postquam ita partium interessè cœpít, pœnitentiā ducti desistere nequeant. Hinc nec arbiter compromissarius pœnitere, seu semel susceptum officium recusare potest, sed ut sententiā sua controversiæ finem imponat compellitur nobili judicis officio, vel multæ inductione, vel pignorum captione, idque ob rationes quæ extant in *cit. l. 3. §. 1. ff. de recept. qui arbitr.* Ubi Ulp. ait. Tamen si neminem prator cogat arbitrium recipere quoniam haec res libera & soluta est, & extra necessitatem Juris dict. impossita: attamen, ubi semel quis in se recepit arbitrium, ad curam & sollicitudinem suam hanc rem pertinere prator putat, non tantum quod studeret lites finiri: verum quoniam qui cum' quasi virum bonum disceptatorem inter se elegerunt non deberent decipi. Et in fine ejusdem §. 1. aqvisimma fore, pratorē se interponere debuisse, ut officium quod in se recepit impleret. Brunnem. ad d. l. 3. n. 3. Lauterbach. in comment. ff. cod. 0. 33. quod tamen fallit, si compromissarius justas habeat excusationis causas, quæ referuntur. in l. 9. §. ult. & penult. l. 15. & l. 16. cod. Scotan. in exam. jur. cit. tit. qvæst. 10. Cæterum hocnotatu dignum est, quod judex qui propter denegationem justitiæ, cognitione privandus sit, adhuc tamen mox pœnitere, & se paratum ad justitiam exhibendam ostendere

dere posit Schrad. de feud. p. 7. sect. 4. n. 155. Heig.
2. illusfr. q. 4. n. 17.

§. III. Qui litigant sunt vel principales vel accessoriæ : principales sunt actor, & reus ; His non solum usque ad L. C., sed ad sententiam definitivam liberum est, processum cæptum prosequi, vel ab eo desistere, restitutis modo impenfis, & si reus est qui desistere velit, præstito id quod in judicium deductum. Sed an Jurisdictio prorogata finiatur pœnitentiâ, seu an partes litigantes prorogatae jurisdictionis pœnitere possint, quæstionis est ? Negat id Lauterb. *in com. ad ff. tit de Jurisdict. 9. 34.* sed rectius affirmat Wesenb. *in parasit. Tit. de Jdict. n. fin.* distinguendo an res adhuc integras sit an non : Qvando vero res in prorogat. jdict. sit integra & qvando non : DD. inter se non convenient prout videre est apud Umm. : *disp. Process. 4. n. 101. & 103.* Bachov. *ad Prota,* sub rubro *de prorog. jurisdict. n. 12.* & seqq. Nos putamus distingvendum esse non uno modo, & qvidem inter prorogationem expressam, & tacitam, item in *bac*, an iudex aditus sit, nec ne ; in illâ num Litis Con. jam facta, an non. Denique an nudo pacto, an stipulatione facta sit prorogatio vid. Tabor. *disput. Wesenb. 2. 9. 17.* Hahn. & Ludwel. *ad cit. loc. Wesenb. II.* Interim non dubitamus, quod si vel maximè iudex aditus sit, utraqve parte consentiente, pœnitentiam locum invenire, *juxta l. 1. §. 10. ff. de nov. Op. nunc.* : Secus vero si altera pars dissentiat ; hæc unilateralis, illa mutua rectè dicitur : Et pro hac sententia est clarus textus *in l. 18. ff. de Jurisdict.* nec adversatur *l. penult. C. de part. ad quam Brunnem. ad cit. l. 18.*

l. 18. n. 1. nec non Tabor. in *eit.* questio. 17. respondent.
 Cœterum an & qui compromissum fecerunt pœnitere possint? non inutilis videtur esse questio, quam distinguendo solvit Gilhaus. *c. 1. p. 3. §. 5.* *n. 2. h. m.* quod aut utramque partem pœnitentia compromisisse, & sine dubio possunt à compromisso resilire; quia eadem potestas & voluntas, quæ eos ligavit compromittendo, eadem dissolvit eos in compromissi dissolutione. *l. 35 ff. de R. 3. l. 58 ff. de pac*t**. Aut altera pars tantum vult pœnitere, altera autem instat quod procedatur. Et tunc non potest pœnitens penitus (intellige impunè. *l. 30. §. Sed sed hoc ff. de recept. que arbit.*) recedere à primo instituto, quia illam quam elegit viam amplius repudiare non potest. *l. 5. C. de O & A. & c. quod semel. de R. 3. in 6.*

§. IV. Accessoriæ sunt Advocati & Procuratores vid. Em. à Rosbach. *c. t. 4. n. 3.* qui cum etiam inviri ad Postulandum cogi possunt. Em. a Rorbach. *l. 18. n. 11.* Gail. *l. 06f. 43.* & Mynsing. *4. Obf. 32.* sponte suscepta causam sine legitimis causis deferere non possunt, Em. a Rorbach. *tu. 18. n. 22.* ibique allegat. *LL.* & quamvis partibus liberum maneat, usque ad L. C. mandata procuratoria revocare, & in locum priorum advocatorum alios pro lubitu substituere *l. 16. 17. ff. de procurat.* & Reyh. *Theaur. 1. Jur. sub voc.* mandatū, id tamen post L. C. non procedit nisi demum ex justa causa. *d. l. 17. ff. de procur.* & authore judice vid. Ord. Dicast. *p. 1. tit. 11. §. 10.* Gail. *tit. Obf. 43. n. 9. & O. 46.* Myns. *5. O. 44.* quomodo hodie huic rei in superioribus judiciis provisum; patet ex Ordin. Cam. Imper. *p. 1. tu. 26. circaf.* & ex Ord. Sum. Tribun. Wism. *p. 1. tit. 12. §. 6. circaf.*

circ. f. cit. §. 29. & 30. Conferatur Mev. P. 4. decisi. 248.
 Idem de secunda Instantia dicendum erit, potest enim
 appellans appellationem interpositam vel prosequi, vel
 deserere, cum ad neutrum cogi possit, per expr. text.
in l. 28. C. de Appellat. ubi Brunnenm. eleganter in qvantum
 hoc, citra tamen præjudicium appellati, & maximè
 priusquam introducta appellatio, vel pars adversa ci-
 tata sit, procedat, deduxit; effluxis vero sene fatali-
 bus, sibi in appellatione præscriptis, pœnitentia excludi-
 tur & judicato standum, nisi per aliud remedium s. resti-
 tutionis in Integrum s. nullitatis ei succurratur.

§. V. In Judicio criminali olim jure Romano, alia
 rerum facies erat, cum enim accusatus ad accusatio-
 nem admissus nomen inscribere seu profiteri *l. 3. ff. de*
Accus. & inscript. & libellum judici oblatum subscribere,
 seqve ad pœnam, isti criminis, cuius alterum accusa-
 bat, statutam adstringere cogebatur Struv. *Ex. 48 tit.*
l. 2. b. 8. istis solennitatibus peractis pœnitendi jus defini-
 bat, ut privata autoritate, & reo non consentiente ab
 accusatione desistere amplius quis non potuerit *l. 3. C.*
de Abolit., idque ne hodiè quidem in totum mutatum,
 quamvis enim pœna accusatori propriè, non in-
 fligi soleat, arbitriam tamen animadversionem, qui
 falso quem accusavit, licet sponte, à lite desistere velit
 non effugiet vid. Struv. *Ex. 49 tit. 16.* Advocati s. pro-
 curatores fissi, quibus hodie utinur, si præscriptas sibi in
 accusationibus s. delationibus regulas, probè observa-
 verint, magis privilegiati sunt, nec pœnam ob falsam
 delationem, modo fraus absit, patiuntur.

§. VI Actus judiciales ad ipsum processum spectan-
 tes,

D

tes, in essentiales, & accidentales dispesci solent: Illi sunt qui necessariò ad judicium requiruntur, & qui sine vi-
tio nullitatis omitti nequeunt. Hos appellamus qui adeò necessarii non sunt, sed stante nihilominus processu
præsertim summario omitti possunt. De utraque specie
notandum, quod in iis solum usque ad litis Contest. pœni-
tentia permissa sit, nam per hanc inter partes quasi con-
trahitur de præstandis iis, quae processus & instituta
actio requirit l. 3. §. 11. ff. de pecul. Emer. à Rosb. prax.
civ. tit. n. n. 63. ut deinceps amplius pœnitere non possint
Reih. thesaur. Jur. Sub. vor. Lis. n. 26. Existimat quidem
Struvius hanc regulam falli in Libello, ut potè, quem, si-
ve in substantialibus sive in Accidentalibus erratum sit,
ad sententiam usque definitivam Jure civili corrigi posse
existimat Ex. V. Tu. 13. tb. 41. inductus ad hanc opinio-
nem per §. 34 & 35. Inst. de Act. l. 3. ff. de Edend. verum DD.
communiter in Contrariam abeunt sententiam, & lite
jam contestata, correctionem seu mutationem locum
non habere affirmant per l. 23. ff. de Judic. vid. Mull.
ad Struv. Ex. V. th. 41. lit. X. Gail. 1. o^o 74. n. 8. ut
ne quidem Clausula, mit vorbehalt die angestellte Klage
zu endern / mindern / bessern libello adjectam, id ope-
rari posse arbitrentur, quam hanc ob causam super-
fluam, & inutilem appellat Rosb. c. tr. tit. 35. n. 26. vid.
Dn. Mull. ad cit. Ex. tb. 41. lit. y. Lite Contestatâ, si
reus petita actoris, vel in totum vel pro parte negat,
probatio injungitur, hæc fit vel per testes, vel per in-
strumenta Rosb. tit. 53. n. 16. Circa Testes quarerit:
utrum liceat actori, qui testes quidem produxerat ad
examinandum, eosdem ante examen revocare, & pa-
lam

lam contestari se his uti nolle, & utrum invita altera
parte hoc ipsi permitti possit? Et respondemus affirmati-
vè, si res adhuc integra, negamus verò si res amplius
non integra sit; res autem integra hoc loco dicitur,
si testes nondum juraverint; præstito enim jura-
mento, jus alteri parti quæsitus, minime auferendum,
nec revocatio seu pœnitentia amplius locum invenit
per ea quæ latius deduxit. Heig. 2. q. 4. n. 4. & seqq.
Num idem de instrumentis sentiendum? an iisdem
intelligatur usurus, qui verbotenus produxit Instru-
mentum vel scripturam, compellique possit ad edi-
tionem, an potius dicemus locum esse pœnitentiæ?
& videtur non posse compelli, cum possit pœnitere,
quoniam aliud est instrumenta producere aliud ver-
botenus allegare Fulv. Pacian. de Probat. lib. 1. c. 62.
n. 132. seqq. Semel autem facta reali productione instru-
mentorum, nequaquam eam revocare licet: nec valet
protestatio, quod tantum in partibus, pro se facien-
tibus fiat productio Heig. d. 1. q. 4. n. 35. de protesta-
tione ab initio interposita vid. Mev. p. 7. dec. 346. & seq.
347. & conciliaciones apud. Mascard. de Prob. Con-
clus. 915. n. 17. 199. Cæterum cum & Juramentum
inter probationum species referri soleat, & is qui pro-
bare jussus est, juramentum deferre possit Mev. p. 4.
decis. 6. De eo superest quæstio, an Actor qui juramen-
tum reo detulit, pœnitere & ad probationes recur-
rere possit? quod affirmandum censemus per 1. 11. C.
de reb. cred et si vel à Reo acceptum: Möller. 3. semest. 8.
modò non relatum sit actori, quo ipso, ipsi excludi-
tur omnis pœnitentia & alia probatio l. 38. ff. de jure

D 2

jur

jur. Anton. Fab. in Cod. lib. 4. tit. 1. dis. 3. Heig. d. l. qvæst. 4. n. 37.
 sed si tum in probatione defecerit, de novo juramentum
 deferre nequit l. 11. C. cert. pet. & ibid. Gotofr. 1. o. Mev. p. 3.
 Dec. 201. Svendend. in proc. Fibig. p. 1303. Et cum re^o dela-
 tū juramentum præcisē præstare non cogatur sed illud
 referre possit l. 34. §. 7. L. 38. ff. de jurejur. Qværitur porro,
 num & hic à relatione desistens, pœnitere & conscientia
 probationibus defendere queat? qvod itidem affirma-
 mus cum Ant. Fab. d. 1. & si in probationibus defecerit,
 ad juramentum ipsi datur regressus Carpz. Jurisp. for. p.
 1. C. 14. def. 18. Nihil hic addimus præterqvam qvod
 pars, qvæ *Interrogatoria* ad examen testimoniū exhibuit
 pœnitere, & ea revocare, atqve ut ex actis demandantur
 petere possit, idqve ideo qvia interrogatoriorum con-
 fectio in unius tantum partis favorem indulta & per-
 missa, & ideo horum revocatio permitta censetur
 Heig. *supr.* c. 9. p. 4. 39.

5. VII. Probationem & reprobationem sequitur
 attestatorum publicatio Ord. Sum. Trib. Wism. p. 2. lii.
 32. §. 1. qvæ regulariter omnem ulteriorem vel super
 iisdem, vel directò contrariis articulis probationem
 ac testimoniū productionem impedit O. Trib. lib. 2. l. 32.
 §. 6. v. Wie nach Eröffnung der Zeugen-Rundschafft
 keine Zeugen de jure regulariter abzuhören / so lassen
 wir es daher bewenden Mart. Com. ad Ord. Proc. Sax.
 ii. 24. ubi 24. exceptiones uno ordine reperuntur
 qvod tamen ad primam instantiam rectè restrigunt
 D. Mev. p. 8. dec. 48. In secundâ reproductionem indi-
 stincte admittens. Publicatis attestationibus vel super
 iisdem disputatur, vel statim in causa concluditur, qvod
 litigan-

litigantibus liberum relictum per ord. Trib. tit. 32. §. 3.
 v. siēt et einem jedem frey darauff schlechter Ding ohn
 ferner Handlung zu schliessen. Sive nunc statim post
 publicationem, sive demum post duplicam Ord. Trib.
 p. 2. tit. 32. §. 4. in causa concludatur, illa conclusio
 partibus silentium imponit, ut post illam ulterior alle-
 gatio locum haut inveniat Gail. 1. obs. 107. n. 5. qvod
 in Civilibus regulariter obtinet: fallit. v. in Criminali.
 Wesenb. in paratit. de Ques. n. ult. & matrimonialibus
 Rosb. tit. 70. n. 13. Tandem seqvitur *Sententia judi-
 cis*, qvæ controversiam haſtenus inter partes agita-
 tam, legitimè decidit. Hæc qvidem ab initio intra
 fatalia multis modis impugnari potest, postqvam verò
 semel in rem judicatam ivit, jus inter partes facit, ut
 retractari & mutari minime possit. Ne qvidem ab
 ipso principe l. 3. C. *Sentent. ref.* non poss. Mev. p. 7. decif.
 1. n. 8. ubi imperatores potestate suam in res judi-
 catas abdicasse ait; Nec à judge l. 14. l. 55. l. 62.
 de Re. jud. Et sic in sententia definitiva qvidem nulla
 mutatio vel pœnitentia locum habere potest, benè
 tamen in Interlocutoria Gotofr. ad d. l. 14. ff. de rejud.
 l. 4. idq; non tantum jure civ. sed & Jure Can. obtinet,
 c. 6o. X. de appell. c. 10. de appell. in 6. & hoc rectè qvoqve
 ad Sententiam Arbitri tam definitivam qvam inter-
 locut. extendit Pacius in Ilogog. tit. de recept. qvæ arbitr.
 n. 8. per l. 19. §. ult. & seq. Et tantum de actibus judiciali-
 bus in specie sic dictis, qvos priori loco posuimus.

§. VIII. Posterioris generis actus in specie actus
 appellantur l. 19. ff. de V. S. & qvidem legitimi l. 77. de R.
 3. 11. legis actiones l. 2. 3. de offic. procons. & legat. & inter

D 3

duos

duos consentientes apud Magistratum qvi legis actionem habet, peraguntur d. l. 2. & 3. Struv. Ex. IV. th. 71. Horum communiter tres recensentur species (plures enim esse constat ex allegat. l. 77. ff. de R. 7.) Adoptio, Manumissio, & Emancipatio liberorum Struv. cit. Ex. IV. th. 71. in qvibus ob insignem horum actuum favorem, pénitentiæ nemo facile locum concedet. Verum nullo favore obstante & mutationem, & pénitentiam, in iis locum habere defendemus, longiori probationi, præsertim in materia quodantenus antiquata, inhærere supersedentes: vid. qvoad Adoptionem clar. text. in l. 10. C. de Adopt. Cum enim tanta fragilitas adoptantis, ut possit in ipso die, & filius fieri, & extraneus per emancipationem inveniri & ibid. Gotofr. l. 9. idem ad l. 34. ff. eod. l. 1. c. interim ad rem faciunt & l. 32. pr. l. 33. ff. de adopt. & l. 3. § 6. ff. de minor. Qvoad Manumissionem provocamus ad l. 2. l. 4. de libert. & eorum lib. l. pen. ff. de Oper. libert. Qvoad Emancipat. vid. l. un. C. de ingrat. lib. vers. rescripta emancipatione ibique Gotofr. l. 12. ff. de Adopt. & Emancipat.

§. IX. Extrajudiciales actus dividuntur in eos qui intervivos fiunt, & qui ultimæ voluntatis sunt: Qvod hos attinet, plus quam notorium est, qvod in ultimis voluntatibus pénitentia quam maximè locum inveniat, cum voluntas humana s. suprema ambulatoria sit usqve ad extremum vitæ exitum l. 32. §. 4. ff. de donat. inter. V. & Ux. l. 4. ff. de adem. legat. Hinc primo de Testamento constat, qvod prius non tantum per posterius testamentum, modo jure perfectum sit, ipso jure rumpatur §. 2. J. 2. mod. test. infirm. et si testator in posteriori nullam prioris fecerit mentionem seu

seu revocare se illud dixerit arg. l. 27. C. de testam. ordin. & DD. ad cit. §. 2. Q. mod. testam. infirm. Sed & idem accidit, si Testator tabulas testamenti inciderit, ruperit, fregerit l. ult. ff. de injus. & irr. testam. l. i. ff. de his qui in testam. del. vel resign. l. 22. §. 3. & seq. qui testam. facere possunt. vel cancellaverit l. i. §. 3. & s. ff. de his qui in testam. delente. Sed quid si in priori testamento se adstrinxerit quis ad non mutandum illud testamentum; an eo ipso privetur testator facultate pœnitendi seu revocandi? Et respondeatur quod non; quia nemo sibi hanc legem dicere potest l. 22. ff. de legat. 3. act. nec liberam sibi testandi facultatem adimere l. 55. ff. de legat. 1. Anton. Fab. in Cod. lib. 6. tit. 5. def. 15. n. 2. Imò & si quis juraverit, se à priori voluntate recedere nolle, voluntate pœnitendi non privatur? vid. Mich. Graff. Recept. Sent. §. Testam. qvæst. 87. n. 1. & Anton. Fab. d. l. n. 3. Porro de judiciali testamento in qvæstionem venit, an & hoc per pœnitentiā revocari possit, nudaq; voluntas ad id sufficiat? Respondeatur quod sic, modo Testator coram judice se expresse declareret, se nolle in priori voluntate permanere, seq; eo animo testamentum illud ab actis tollere, Berl. p. 3. cont. 4. n. 53. Ast majus dubium est de hac qvæstione, Annon ex eo pœnituisse testatorem colligendum, quod testamentum ab actis repetierit? quod rectius negatur, modo obsignatio judicialis illæsa post mortem reperiatur, Berlich. d. l. n. 46. & 54. Carpz. p. 3. C. 3. def. 30. De testamento parentum inter liberos non est dubium, qvin nuda voluntate annulari possit, modo de contraria voluntate parentis debito modo constet Nov. 107. c. 2. & ibid. Gotofr. in not. l. b. Richt. ad auth. Hoc inter C. de Testam. n. 8. & seq. n. 14. Sed si sigil-

si sigillum abstulerit, num tacite revocasse censendus pater? Affirmativam Richter. p. 1. decis. 54. n. 17. amplectitur. De Codicillus in apricō est, qvod in illis perinde ut in alia ultima voluntate pœnitentia licita sit, sed an nuda voluntate contraria revocentur? inter DD. controvertitur. Affirmat Harprecht. ad tit. Inst. de Cod. §. fin. n. 12. Sed rectius forsitan negatur. Ut potius contra-ria voluntas Codicillantis, rite & legitime declarata esse debeat, in testamento, codicillis subsequentibus rite fa-ctis, vel coram judice vel. 5. testibus. Lauterb. in comm. ff. tit. de Codic. b. 15.

§. X. In Legatis & Fideicommissis nullum super-esse potest dubium, qvin pœnitentia suum effectum habeat, cum nuda voluntate tam hæc, qvam illa revo-centur, l. 3. §. fin. ff. de Adimend. legat. l. 18. ff. de legat. 3. Sed num revocato testamento priori per posterius, prioris testamenti legata simul revocata censeantur? elegans & utilis est qvæstio, & licet dubium hoc facere videatur, it. l. 18. inf. recti? tamen affirmatur; legata enim & fideicom. accessoria sunt testamenti. Sed fallit hoc, (1) Si ex circumstantiis appareat, testatorem non in totum & qvoad legata voluisse revocare testamentum prius. Carpz. 3. C. 3. def. 40. n. 4. ubi & præjud. ad-ductum reperitur (2) fallit in casu Cü. l. 18. de leg. 3. ex qva rectè colligitur, testatorem à priori voluntate non aliter recedere voluisse, qvam si posterior vale-ret Brunn. ad c. l. 18. *Donationes mortis causa speciem ultimæ voluntatis constituant.* Lauterb. vol. 1. D. 18. de mort. cauf. donat. b. 42. & per omnia ferè ad exemplum legato-rum redactæ dicuntur in §. 1. J. de Donat. l. fin. C. de m. c. don. Confe-

Consequenter & pœnitentiam in his dominari extra dubitationis aleam ponimus §. 1. J. de donat. l. 30. ff. de Don. m. c. l. 32. §. 3. ff. de Donat. inter V. & Ux. sive illa pœnitentia expresa sit s. tacita, e.g. si donator rem donatam voluntarie revocaverit, perinde est. Ludwel & alii DD. ad cit. §. 1. de donation. Nihil addimus qvam unicam hanc qvæstionem; Num in aditione hereditatis pœnitentia admittatur? Et respondemus qvod non, nisi forsitan minor sit 25. annis, qvem pœnitere possit, si temere damnosam hereditatem adierit, qvo casu ei succurritur per Rest. in integr. §. 5. Inst. de hered. Qual. & differ. l. f. C. de repud. hered. qvamvis & majoribus 25. annis, certis tamen in casibus succurri soleat c. §. 5. & ibid. DD.

§. XI. Actus qvi inter vivos fiunt iterum vel circa licita versantur, vel circa illicita: qvæ circa licita versantur, vel Pollicitationes sunt, vel Conventiones. prius itaque de pollicitatione, qvæ alia est pollicitatio in specie sic dicta; alia Votum; illa fit Ecclesiæ vel Reipublicæ l. 1. & 4. ff. de pollic. Civitati s. municipio l. 3. §. 1. l. 14. ff. de pollic. & non solum in rebus l. 15. C. de S. S. Eccl. Sed etiam in factis l. 6. §. ult. ff. de Pollic. consistere potest. Et cum tum demum qvis ex pollicitatione sua obligatur, quando illa ex causâ qvâdam facta l. 1. §. 1. l. 4. ff. de pollicitat, vel quando qvis promissum adimplere cœperit l. 30. §. 1. l. 6. §. 1. ff. de pollic., certo certius colligimus pœnitentiæ locum esse quoties ejusmodi causa non subdit & negotium nondum cœptum; cum sola promissio in pollicitatione obligationem non inducat Magn. Dom. Præf. in Dissert. de pollic. & vot. §. 12. in fin. Votum soli DEO fit & eatenus

E

nus

nus obligatorium, qvatenu ex libero & deliberato
consensu profectum, nec non de re licitâ & in nostra
potestate sita factum sit; qvamvis enim iis, in nostra
Ecclesia, tanti effectus non attribuantur, ac in Rom.
tamen merito etiam apud nos approbantur & com
mendantur ob graviss. verba Num. 33. v. 2. Wenn je
mand dem HErrn ein Gelübde thut oder ein Eyd schweh
ret/ daß er seine Seele verbinde / der soll seyn Wort
nicht schwächen. Unde majorem autoritatem & obli
gandivim, qvam ipsis juramentis, eis attribuit Frantz.
lib. 1. var. resolut. pract. 26. n. 7. & 45. Et recte; si enim fi
des homini data servanda, qvod extra dubium, qvantò
magis qvæ DEO data est: Interim cum nulla obli
gatio jure civili ex voto oriatur, nisi manifestetur &
insinuetur apud qvos necesse est l. 15. C. de SS. Eccles.,
illa vero insinuatio rarò fiat, qvoad forum soli pœni
tendi jus haut facile à votis seclusum erit.

§. XII. Conventiones sive pacta sunt vel nuda
vel vestita l. 7. §. 4. l. 6. ff. de pact. l. 15. ff. de prescript.
verb. Hæc vel adjecta; vel legitima; vel Contractus
l. 1. §. 3. 4. ff. de pact. l. 5. l. 7. §. 1. cod. Qvod pacta nuda
attinet, dubium de illis nullum restat. Legitima &
adjecta ut veterum distinctiones retineamus l. 6. l. 7.
§. 5. ff. de pact. instar contractus obligant d. l. 7. §. 5. de
pact. adeoque pœnitentia in iis locum vix habebit.

§. XIII. Contractus veri in nominatos & inno
minatos secundum Jus Civ. Roman. distinguuntur l. 7.
§. 1. 2. ff. de pact. Nominatos qvod concernit commu
nis DD. opinio est, in illis postqvam perfecti sint, pœ
nitere non licere l. 5. C. de O. & A. neqve etiam na
tura

tura horum contract. permittit, ut licet res integra sit, alter invito altero inde discedere possit cum stricta ex iis obligatio ad implendum contractum nascatur,
I. 2. ff. de Contrab. Empt. V. pr. Inst. de Empt. V. l. 21. ff.
locat. Cond. l. 75. de Contrab. Empt. V. l. 11. §. 1. ff. Empt. V.
 qvemadmodum enim illi ab initio voluntatis, ita ex postfacto necessitatis efficiuntur *l. 17. inf. C. de Contr.*
Empt. l. 22. §. 11. ff. mandat. Et hoc regulariter ita obtinet.
 Excipitur enim Mandatum, Societas, & Depositum, in
 qvibus ob non deminutum jus alterius penitentiam
 communiter admittunt; id qvod & nos amplectimur;
 uti ex inseqventi speciali pertractatione patebit.

§. XIV. Mandatum præter onus gerendi negotium
 gratis commissum nihil juris in mandatarium trans-
 fert, & inde nonsolum mandanti, illud revocare *§. 9.*
Inst. de Mand. l. 12. §. 2. ff. de solut. & lib. Sed etiam man-
 datario illi renunciare *l. 22. §. ult. l. 27. §. 2. ff. mand.*
Struv. Ex. 22. tb. 18. ex justa causa permittitur, cum
 nemo obligetur, ut id, qvod semel mandavit perfici
 patiatur. Vinn. *ad §. 10. Inst. mand.* & ut negotia gra-
 tuitò commissa, qvamdiu committentis nondum verè
 intersit invitus gerat. Et hoc verum est, uti dixi-
 mus, qvamdiu unius, vel alterius partis nondum in-
 teresse cœpit, h. e. qvando per penitentiam alteri in-
 juria nulla infertur, utpotè, rē adhuc integra, parti
 declarata. Dicitur autem res integra in mandato, à
 parte mandatarii, ut sc. is mandato renunciari possit,
 qvando mandanti integrum est jus expediendi eandem
 rem, vel per se, vel per alium, non exclusis cæteris
 mandato legitimè, renuntiandi modis, de qvibus null.

ad Struv. Ex. 22. tb. 18. l. y. Kling. Enarrat. Inst. in tit. de mand. A parte mandantis, qvando negotium nondum expediri cœpit mandatarius, intempestivè enim revocans mandatum ex antegesto mandatario ad interesse tenetur l. 15. & 16. ff. mandat. Hotom. part. Elem. tit. de mand. Perinde ac mandatarius, re amplius non integra, mandanti §. 11. f. mandat. l. 8. §. 6. ff. eod. Qvoties itaqve nondum interesse cœpit, toties, in hoc Contractu pœnitentia admittitur, ut impunè, nonsolum utriuscq; partis dissensu, de qvo minus dubium, sed etiam alterius partis pœnitentiâ, modo ea tempestivè denuncietur, ab eo recedere permisum sit §. 9. Inst. mand. In tantum, ut ne qvidem post cœptum alterius partis interesse, qvis strictè cogi possit, ut contractum impleat, sed præstatione interesse liberetur. Vinn. ad §. 11. Inst. mand.

§. XV. Similis huic contractui, qvoad jus pœnitendi, est, qvem secundo loco posuimus, Contractus Societatis, Ex hoc enim itidem alia obligatio non oritur qvam ad interesse, nec invitus qvis præcisè ad bona secundum conventionem initam conferenda cogi potest Struv. Synt. f. civ. tit. pro soc. Bachow. ad Wesenb. eod. tit. adeo ut ne qvidem post collationem bonorum in communione manere qvis teneatur, sed vel mutua vel alterius socii pœnitentiâ societas inita dissolvi possit l. 14. l. 63. §. 10. l. 70. ff. pro soc. Struv. Ex. 22. tb. 4^o modo renunciatio vel dissolutio tempestivè & ex justa causa fiat d. l. 14. pro soc. Frantz. ad eund. tit. n. 116. Qvando enim renunciatio ab altera parte intempestivè fit, renunciationem, vel si bona jam collata sint, dissolutionem impedire nequit Socius. Struv. c. ib. 41. in fin. intè-

integrum autem ipsi est, renunciantem eo casu ad interesse convenire. Struv. c. l. verum quid si tempore renunciationis quidem socii nondum intersit, renuncians autem nihilominus doloso animo societati renunciaverit, ideo à societate descendens, ut lucrum alias inter ipsos commune sibi obveniat; Decidit hunc casum JConsult. in l. 65. §. 3. profac. conferatur. §. 4. Inst. cod.

§. XVI. Tertium locum occupat Depositum; ex hoc contractu solus depositarius ad rem restituendam principaliter obligatur §. 3. Inst. Q. re contr. Obl. Deponens saltem ad indemnitudinem praestandam l. 5. §. 2. ff. depos., unde facile colligi potest, quod nulla obligatio ex deposito oriatur, quominus quis rem, ex eo contractu traditam quolibet momento repetere possit l. 1. §. 45. ff. depos. Nulla namque juris diminutio à parte depositarii, nullum justum interesse, quod rei depositæ avocationem impediri possit, nisi forsitan impensæ factæ, ob quas avocatio suspenditur, usque dum illæ restituta, impensas enim ex sua substantia depositarius facere non cogendus l. 12. pr. ff. dep. ne ipsi officium suum damnosum sit, contra l. 7. ff. Q. testam. aper. cum secundum naturam sit incommoda cuiuscunq; rei eum sequi quem sequuntur commoda. l. 10. ff. de R. J. Ideo licet inter deponentem & depositarium ab initio convenerit, ne res vivò depositario repetatur, nihil obstat, quod minus vel statim repeti possit d. l. 1. §. 45. ff. depos. & depositarius, tali pacto non obstante rem depositam, ad arbitrium deponentis illico & absque mora restituere debeat. l. 11. pr. C. depos. vel cont. Wilh. Ant. de Freudenb. de Rescript. morat. tit. 7. Concl. 39. n. 2. In

E 3

tantum

tantum ut si forsitan restitutionem tardet, citra juris ordinem, summariter i. e. omisso libello sc. solenni, L. C., & reliqvis solennitatibus desuper procedendum wird darin schleunig ohn alle Weitläuffigkeit verfahren. Nec spacium quadrimestre condemnatis, commiserationis gratia alias indulgeri solitum, hoc casu locum habeat. Wilh. Anton. de Freudenb. c. l. n. 8. Qvod verum esse arbitramur, qvamdui depositum regularem naturam retinet: qvando enim e. g. depositæ pecuniæ usuras, vel ab initio paciseitur, vel ex postfacto recipit deponens, tum omnibus privilegiis tacite renunciassē videtur. Duaren. cap. 4. de Deposit. Tiber. Decian. Consil. II. vol. 1. 192. Et tantum qvoqve de deposito, qvod ultimum eorum contractum nominatorum, in qvibus pœnitentia locum esse DD. communiter afflunt. Supereft ut qvicqvid in cæteris, ejusdem generis contractibus obtineat, extremis solum labiis degustemus. Cum autem iis, simulatqve consensus ab utraq; parte perfectus i. e. deliberato intervenit, insit qvædam vis obligandi alter invito altero ab iis discedere neqvit. l. 5. C. de O. A. l. 3. C. de refc. Vend. Unde communiter statunt pœnitentiam plane excludi ab hisce conventionum speciebus sua natura irrevocabilibus, Carpz. 5. resp. 114. n. 2. adeo ut ne princeps qvidem à Contractu, qvem fecit, pro arbitrio recedere possit Bl. Castr. in l. 4. C. de LL. etiamsi id de plenitudine suæ potestatis facere velit. Myns. resp. 24. n. 19. Valsq. Controv. Illustr. c. 26. n. 6. Verum qvamvis regulariter, in iis pœnitentiam admitti non contendamus propter express. text. in l. 5. C. de O. & A. Id tamen primo non obtainere putamus in sermo-

sermonibus antecedentibus, qvibus Contractui forma
præscribitur Berlich. *decis.* 142. & seq. Menoch. *Conf.* 893.
n. 12. Secundo si contractui pactum adjectum, ut præ-
stítā pœnā pœnitere liceat Stru. *Ex. 23. tb. 24. in fin.* Tertio
fallit regula in Fisco, qvi etiam à perfecto contractu
resilire potest si pinguiorem emptorem habeat: *l. 21.*
in f. ff. ad municip. l. 1. C. de Vendend. rebus civit. Cujac. 2. Obs. 24.

§. XVII. Innominatorum contractuum diversa
est natura; cum enim in nominatis pœnitentia non nisi
extra ordinem admittatur, uti in præced. dict. Horum
qvasi proprium est ut qvovis tempore rescindi possint
l. 5. pr. ff. de Condict. caus. dat. ibigne: Gotofr. in not. lie.
l. & m. Neqve enim dans qvamdiu accipiens nondum
ex sua parte contractui satisfecit, obligatur, qvippe qvī
non præsumitur, se ipsum ex sua datione obligare
voluisse, sed potius alterum, cui, ut qvid vicissim daret
vel faceret, dedit, uti recte tradit Vasq. *6. Controv. cap. 59.*
n. 12. 20. Accipiens qvidem statim post acceptancem
danti obligatur *l. 4. C. de rerum permūt.* Sed non aliter
qvam cum electione, an acceptum restituere, an contra-
ctui satisfacere velit *l. 5. §. 3. ff. de Condict. caus. dat.* qvam
electionem ipfi, ne qvidē pœnitentia dantis tempestivè
significata aufert, ut ea non obstante, contractui sine suo
periculo, nihilominus satisfacere possit v. g. manumit-
tere, eo cum effectu ut & manumissio teneat & actio ad-
versus manumittentem nulla competat arg. *l. 5. §. 1. ff.*
de Condict. caus. dat., id qvod alii integrum esse volunt
accipienti usqve ad Litem Contestat. arg. *l. 4. de V. O.*
Donel. lib. 14. c. 22. circa fin. Vinn. Jurispr. contract. lib. 2. cap.
28. tit. β. Qvapropter firmiter concludere licet, ex hisce
contra-

contractibus, præter obligationem ad interesse, contrahentibus nihil acqiri, etiam si res amplius integra non sit. *l. 5. §. 1. de Prescript. Verb.* Oldendorp. d. Act. Class. 4. act. 38. in fin. Müller. ad Struv. Synt. Ex. 25. lib. 14. lit. y. Qvæ obligatio ad interesse à parte dantis tum demum oritur qvando accipiens aliquid fecit vel impendit, qvod ad executionem negotii commissi necessario requiritur. *l. 5. §. 2. ff. de Conduct. caus. dat.* qvamvis enim ne tum quidem rem data repetere prohibeatur. Hart. Pistor. Obs sing. 167. n. 4. æqvitas tamen non permittit, ut impendens hoc casu damnum fine sua culpa sentiat, sed intempestivè revocans indemnitatem præstare cogitur. Ut Scabinos Lips. in tali causa pronunciasse refert. Hart. Pistor. d. obs. 167. n. 9. verba respons. Ob ihr nun woll hier auf bey einen halben Jahr mit reisen / schreiben ic. So würe demjenigen welcher Euch selbige Sachen auffgetragen von der mit euch getroffenen Vergleichung abzustehen unbenommen; Er ist aber gleichwoll auff solchen Fall wegen euer gehabten Mühe / auffgewandten Unkosten / und verursachte Versäumnis / Schaden und Interesse, so viel ihr dessen wie recht liqidiren werdet / Erstattung zu thun schuldig. B. R. W.

§. XVIII. A parte Accipientis qvidem obligatio statim post acceptancem incipit sc. ut vel contractum adimpleat, vel acceptum restituat. *§. preced.* Postquamverodantis jam interesse cœpit, contractum adimpleri, restitutione accepti non liberatur sola, sed insuper danti interesse præstare tenetur, ne melioris conditionis sit accipiens qvam dans, cuius obligatio longè infirmior. Non solum ergo pacta de dando vel faciendo pœnitentiam admit-

admittunt arg. l. 1. 2 ff. de rer. permul. l. 3. C. eod. sed etiam ipsi contractus sua natura perfecti tam danti quam accipienti facultatem pœnitendi relinquunt l. 5. pr. verb. sed cum liceat pœnitere. ff. de condic. caus. dat.

S. XIX. Recte tamen ex contractibus innomatis etiam excipiuntur liberatorii & in quibus favor piæ causæ versatur, qui pœnitentiam non admittunt. l. 46. ff. de pass. Gotofred. ad l. 5. pr. ff. de Condic. caus. dat. Tiraqvell. de privil. pia caus. t. 133. Petr. Müllerus ad Struv. Ex. 25. tit. 3. th. 14. lit. d. inf. Singula genera horum contractuum pertractare, nec propositi ratio permittit, nec necessitas ulla postulat, dum omnes ejusdem naturæ sint, & generalem hanc regulam, in iis præsertim locis, ubi jus commune viget, generaliter admittant, Qvod, quoties in iis privatum interesse versatur, nec ab utraque contrahente implementum secutum, toties in iis pœnitentia Jure communi licita sit: d. l. 5. de Condic. caus. dat. Nisi forsitan superius exceptis adjungere velis (1) Contractum Facio ut des, & Facio ut facias, cum enim factum quod in his contractibus versatur infectum fieri nequeat l. 25. ff. de Prescript. verb. ibidem Gotofred. lit. d. & g. l. 12. S. 2. ff. de capt. & possum. Vinn. lib. 1. qvæst. select. 46. æquum est, ut qui illud ad alterius voluntatem fecit indemnus servetur, ne intempestivâ pœnitentiâ facienti damnum inferatur (2) Contractum Assuranceonis, qui ex nuda voluntate s. consensu deliberato obligationem parit ad id quod conventum præstandum, etiamsi nondum nihil datum sit Struv. Ex. 25. lib. 48. ibidem Müller. lit. e. Et hoc favore commerciorum, ratione publicæ utilitatis & æquitatis intuitu Wesenb. Conf. 27. n. 3. Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 11. n. 1.

F

præ-

præsertim in foro & causis Mercatorum ubi juris civil.
apices non attendi scribit Cardinal. Tusch. *compl. II. lit. p.*
n. 13. Id qvod multo magis obtinet, si huic contractui ab
initio adjectum pactum. Es soll kein Theil frey stehen von
diesen contract per pœnitentiam zurück zutretten. Ceslat
qvoqve pœnitendi jus in innominatis contractibus in
omnibus iis locis ubi per specialem consuetudinem Juri
cōmuni derogatum est, quale quid in Hispania obtinere
refert. Wissenb. *ad tit. ff. de rer. permuat. tb. II. conf. Müller.*
cit. I. ubi plures exceptiones reperire licet.

§. XX. De Sponsalibus adhuc qvædam subjicere
placet, anteqvam ad illicitos actus progressus fiat; Sunt
autem illa secundum *I. 1. ff. de sponsalibus.* mentio & repro-
missio futurarum nuptiarum, & qvamvis propriè Con-
tractus dici non possint, ad negotia tamen obligatoria
rectè referuntur, qvia in iis hinc inde obligatio oritur ex
consensu contrahentium (sine qvo nullus contractus *I. 1.*
§. 2. ff. de pact.) ad consumandum matrimonium *C. 10. 22. 31.*
X. de sponsalibus; & Desponsandi sibi invicem arrhas dare
solent, *I. 1. §. 1. in fin. C. de sponsal. & arrb.* qvæ omnia in con-
tractib⁹ ordinaria sunt. *pr. Instit. de Empt. vend.* Nolum⁹ au-
tem hic tractare vulgatam illam qvæstionē, an in spon-
salibus de futuro uti dicuntur pœnitentia locum habeat;
satis enim superq̄ constat, qvod jure civili saltem unius
partis dissensu & pœnitentia sponsalia dissolvi potuerint
uti videre est ex *I. 2. in fin. ff. de repudis verba: si presenti illo con-*
siliū mutare voluiset. *I. 2. §. 2. ff. de divorc.* & repud. *I. 7. ff. eod.*
I. 8. Cod. de Condict. caus. dat. caus. Carptz. *Ipr. Consist. 2. de fin.*
173. maximè si probabilis pœnitendi causa acceſſerit
I. 5. C. de sponsal. I. 1. 2. C. eod. etiam postqvam jam arrhæ
datae sint. *d. I. 5. §. 1. in fin. de sponsalib.* Jure Canonico qvo
haec

hæc distinctio primum introducta idem obtinet, & sponsalia de futuro, ut potè qvæ soluñodo spei matrimonii inducunt, non solum utriuscq; partis consensu C. 2. & ult. X. de sponsal. ; licet juramentum iis additum sit : c. 1. de Jus rejur. Beust. p. 1. de sponsalibus. Cap. 10. Sed etiam alterutrius pœnitentiæ, causis justis accendentibus retractari possunt non obstante etiam hoc casu juramento, cuius alias magnus injur. can. favor est. c. 10. c. 17. X. de sponsalibus.

§. XXI. Illud solum videbim⁹, An etiam in sponsalibus de præsenti, (qvæ firmissima & ratione indissolubilitatis ipsi matrimonio similia dicuntur à Carpz. p. 2. def. 173.) pœnitentiæ locus esse possit ? Et quidem quod jus civile attinet ex l. i. C. de sponsalib. omnino dicendū videtur eā non denegari, ubi despontatae permititur, conditioni renunciare, & alii nubere ; Idem docet. l. 2. C. de repud. verb. cum posset nuntium remittere, etiamsi presente illo consilium mutare voluisse : Jure Can. aliud statuendum videtur propter C. 10. 22. & 31. X. de spons. ubi ob jam præsentem consensum conjugalem sponsalia de præsenti dissolvi prohibentur etiamsi utraqve pars in dissolutionem consentire velit. C. pen. X. de spons. Carpz. Jurispr. Consil. l. 2. def. 117. Mevius ad jus Lubec. l. tit. 4. pr. n. 12. Sed ne hic quidem pœnitentiām prorsus exulari verior est sententia, præfertim qvando urgentes causæ adsint, ob qvas pœnitentia non quidem privata sed publica autoritate accidente effetum habere possit. Struv. Ex. 29. 1b. 14. Neq; etiam aliter intelligendos putamus citatos ex jure can. textus & dissent. DD. qvam ubi pars altera sine justa causa con summationem matrimonii implere recusat, cum non solum Jus Can. sed & DD. sine differentia justas qvasdam causas approbent, qvibus accendentibus non modo de

sponsalibus, non attenta distinctione, an sint de præsentis
an de futuro, sed de ipso consummato matrimonio disce-
dere liceat. Carpz. *Jurisp. Consil. 2. def. 176.* Richt. p. 1. dæc. 8.
Qvando itaq; legitimæ causæ concurrant tam jure can.
qvam civil. in sponsalibus, etiam de præsentis pœnitere
permissum erit Mev. p. 6. decis. 225. 226. & seqq. qvamvis
non facile, nec ex qualibet levissima causa separatio ob
publicum scandalum concedenda, sed potius ad matri-
monium consuñandum partes legitimis cœrcitionibus
compellandos dicat. Carpz. *cit. l. l. 2. def. 123.*

§. XXII. Tandem ad actus sua natura illicitos pervenimus, in
qvibus pœnitentia locum esse nemo facilè in dubium vocabit, dum-
modo consideret, qvod leges hominibus mores nunquam in melius
mutare interdicant. Verum qvando de delictis consummatis, & in effe-
ctum jam deducitis, nobis hic sermo est, cum cogitationibus jure civili-
pœna nulla constituta l. 18. ff. de pœn. ibicq; Gotofr. merito qværitur an
pœnitentia, qvam licitam diximus, à pœna jam promerita liberet, in
tantum ut ordinaria pœna, ob ejus interventionem locum habere non
possit? qvæ qvæstio ut accuratè decidi possit, præmittendum ipsi erit
qvomodo, & qvando obligatio ex delictis oriatur. Est autem deli-
ctum ex numero eorum actuum, qui ab uno tantum latere obli-
gant, id qvod videri potest ex ejus definitione vid. l. 25. ff. de O.
& Att. licet delictum propriè contractus non sit, qvinon nisi circa
licita versari potest l. 35. §. i. l. 26. de V. O. ad illa tamen etiam negotia
refertur qvæ obligationem pariunt, unde ab Aristot. ad exemplum
contractuum Συναλλαγμά appellantur, adjecto, ob differentiam
spontaneitatis vocabulum ἀνθεστά i.e. invita V. Eth. 2. in fin. qvam-
vis enim à delinqvente qvidem invitè non perpetrantur, cum forma
delicti consistit in dolo, tamen cum non solum in invitum perpetrantur,
sed & ipsum delinqventem invitum pœna subjiciant, rectè ipsis
hæc qualitas attribuitur. Nec obstat qvod delinqvens in pœnam
consentire præsumitur l. 34. ff. de J. fisci fit enim hoc tantum præsum-
ptione juris qvæ veritatem ipsam non tollit; Solus itaq; delinqvens,
uti

ut dictum agit, altero in quem delinqvitur plane invito, cui consequens, ut & solus ex suo facto obligetur, ne alteri per alterum iniqua inferatur conditio. Hisce præmissis ad quæstionem ita respondemus. Delinqvens, utpote ex ipso facto firmiter obligatus, post delictum commissum regulariter pœnitere nequit, sc. cum eo effectu, ut pœnam ei delicto statutam evitet, ne delicta hoc modo maneant impunita, & facinorosi spe gratiam conseqvendi liberalius peccent; neque distingvendum puto cum Eckolt. ad tit. ff. de privatis delictis. th. 5. an prohibitio delicti, & ejus pena à jure tantum positivo, an à jure naturæ ac divino proveniat, cum omne delictum, quod lege prohibitum est, efficacem persecutionem habet Dn. de Linck. ad Struv. Synt. lib. 47. ib. 3. Nunc cum delinqvens fortius obligetur quam qui verè contrahit, nec solum ei in quæstione immediata deliqvit, sed & Reipubl. per factum suum lœsa, ad pœnam ad stringat, justitia valde conveniens est ut & pœnam suo facto promeritam sustineat, nec sola intempesta sua pœnitentia, postquam jam alter in damno constitutus, ab eo liberetur Bl. in l. 4. C. de Episc. & Cleric. Menoch. 2. arbitrari. iudic. 360. n. 13. Sed tum demum pœnitentia effectum quendam sortitur, quando per illam res in pristinum statum deducitur arg. l. 1. C. de crim. Stell. quod sit e.g. Si is qui Virginem rapuit, pœnitentia ductus, illam illasam restituit vid. Carpz. in prax. crim. qu. 61.. ubi aliud adhuc exempl. habet. Aliud quidē obtinere putant DD. in injuriis, in quibus pœnitendi facultatem communiter concedunt, quando Injurians ante L. C. pœnitentiam allegat, scđ de injuriato bene sentire dicat. Struv. Ex. 48. ib. 64. in f. quod tamen multis modis limitatur, prout videre est apud Carpz. pr. crim. quæst. 92. Finckelhaus. obseru. 50. Mev. ad ius Lubec. 4. i. 4. a. 7. & hinc inde Ketlet. in decis. Ostfris. dec. 69.

§. XXI. Diximus §. præced. regulariter pœnitentiam in delictis non admitti, sunt enim casus in quibus ne in iis quidem pœnitentia omni effectu careat, ita ut mox majorem mox minorem pœnærum remissionem operetur. Aristoteles distinguit inter delicta quæ quævis ignorans, & quæ per ignorantiam commisit. 3. Eth. 1. 2. nec pœnitentiam aliter admittit quam ubi quis non modo ignorans, sed etiam per ignorantiam deliqvit; sed quamvis hac distinctio alias sua non careat

reat utilitate, huc tamen parum congruere videtur, cum non solum
in delictis ab ignorantie perpetratis, sed etiam in iis, quæ ab initio à
sciente suscepta sunt, pœnitentia effectum qvendam remissionis pœ-
narum operatur Carpz. cit. loc. p. 1. qu. 49. n. 72. Sic Receptator
postquam jam per multos dies delinqventem celavit, si postmodum
Magistratus sponte manifestat, à poena liberatur. Struv. Ex. 48. lib.
105. Incendiarius quoque postquam jam ædificium combustum sit
pœnitere cum effectu potest, sc. ut ipsi ordinaria poena mitigetur
Carpz. 1. qu. 39. n. 5. Qvod etiam obtinere existimamus in eo qui
antequam ex L. Jul. de Rosid. condemnatus est pœnitentia ductus resti-
tutionem offert Carpz. 2. qu. 85. n. 53. Plura quidem addi po-
nissent tam in materia contractuum quam delectorum; Neque enim
Quasi contractum pœnitentiam semper excludunt, ut videre est ex eo,
qvod Mater legitima Tutrix susceptam liberorum suorum tutelam,
iteram pro libitu deponere possit, si suscepisse pœnitent Fab. in Cod.
lib. 5. tit. 21. defin. 1.

§. XXIV. Exigeret quidem methodus, de Form. à Fine &
Effectu pœnitentia prolixius agere, sed pagellarū angustiā breviores
esse cogimur, ut modo quasi per indicem de his quædam addantur.
Qvod itaq; Formam attinet, hanc in eo consistere putamus, ut legitimo
tempore modoq; à LL. præscripto revocatio fiat, & voluntas pœni-
tenti verbis vel facto declaretur; voluntas enim in mente retenta
nihil operatur. Finis cum Effectu coincidit & pro diversitate
actuum varius est atque diversus: modo enim pœnitentia damnum
qvod quis metuit, avertit, modo contractum dirimit, modo aetum &
factum qvad vim obligandi infestum reddit, modo liberam rerum
nostrarum dispositionem nobis relinquit, & pœnam qvandoque
si non tollat, aliquo modo tamen eam mitigat.

Addenda & Corrigenda,

In C. 1. §. 4. lin. 5. add. post. v. Jerem. 18. add. Jon. c. 3. v. fin.
in l. 7. eod. in f. post. qu. 4. add. Confer. Gramerius in Annot. Bibl. ad c. a. v.
f. Jon. p. 6. lin. ult. leg. pro excend. arcend. p. 8. lin. ult. leg. pro strikle;
strikl. p. 12. lin. 18. pro contrahentes leg. contrahunt. cetera ob defe-
ctum spatiu B. L. correctioni relinquimus.

¶:(c):(c)

(- 196)


Greifswald, Diss., 1706-25

ULB Halle
005 372 038

3



SB



EXAMEN POENITENTIÆ CIVILIS,

Qvod

Auxiliante divina Majestate, PRÆSIDE,

**DN. PETRO MASCOVIO,
JConsul^{to} & Anteces^{ore} Ordinario,
Facult. Jurid. Seniore & Regii Consistorii per Pome-
raniam anteriorem & Rugiam Directore
gravissimo,**

Patrono ac Fautore suo,
Omni & honoris & obseqvii cultu,
devenerando,

Die 14. Aug. 1708.

Placidæ Eruditorum disquisitioni
submittit

CARL. FRIDRICH BüTZOW, Rug. Swant.

CHINESE MEDICINE

GRYPHISWALDIAE

Typis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
Reg. Acad. Typogr.

